

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Bellum c  
cum fontibus proximo et primo

Si Christiana disciplina omnino bella culparet,  
hoc potius consilium salutis petentibus  
in euangelio daretur ut abicerent arma seque militiae  
omnino subtraherent. Dictum autem est eis:  
Neminem concutiatis;  
estote contenti  
stipendiis uestris.  
Quibus proprium stipendium sufficere precepit,  
militare non prohibuit.

Augustinus in sermone de puero centurionis.

**Sed contra** est quod Augustinus dicit,  
in sermone *de Puero Centurionis*:

Si christiana disciplina omnino bella culparet,  
hoc potius consilium salutis petentibus  
in Evangelio daretur, ut abicerent arma, seque militiae  
omnino subtraherent. Dictum est autem eis:  
«Neminem concutiatis;  
estote contenti  
stipendiis uestris» (Luc. 3:14).  
Quibus proprium stipendium sufficere precepit,  
militare non prohibuit.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda  
secundae*, 40.1 (P. Caramello ed., p.207).

Nam

si Christiana disciplina omnia bella culparet,  
hoc potius militibus consilium salutis petentibus  
in euangelio diceretur, ut abicerent arma seque militiae  
omnino subtraherent. dictum est eis autem:  
Neminem concusseritis,  
nulli calumniam feceritis, sufficiat uobis  
stipendium uestrum (Luc. 3:14).  
quibus proprium stipendium sufficere debere precepit,  
militare utique non prohibuit.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 138.2.15 (CSEL 44,  
A. Goldbacher ed., p.141, ll.10-16).